

putat, ex occultis quibusdam causis ita fortiùs quàm aliarum stellarum jubar lucentes, l. 7. natural. qq. c. 27. Ex occultis, credo, causis, non enim intelligo, quare lumen illud radiorum à parte tantùm Soli aversâ videatur, non etiã ab aliis: nec apparet, quomodo conspicuum reddatur, eum nulla corporis opacioris incidentes radios ad nos reflectentis fiat mentio. Accedit, quod non adeò verisimile sit, Cometas, quorum lumen plerumq; languidissimum & ferè emortuum est, longiores radios emittere, quàm stellas alias splendidissimas.

Verior sententia recentiorum est, qui situ caudæ semper in oppositum Soli locum tendentis persuasi statuunt, eam formari à radiis solaribus, per Cometæ caput quodammodo pellucidum transeuntibus, post Cometam in materiam aliam velut impingentibus, & ita sub certâ formâ ad nos reflexis. Sed uti certissimum est, radios solares per Cometæ corpus transire; ita à nemine hæctenus sufficienter explicatum est, nec explicabitur forsitan unquam, quomodo post Cometæ caput radii prædicti fiant conspicui, & quidem sub tot diversis formis, ita ut modò recti, modò curvi, modo barbæ latioris, modò scopularum instar appareant. Hoc quidem extra controversiam esse videtur, post Cometæ caput, ubi cauda nobis apparet, esse materiam aliquam distinctam à capite, & ab aurâ cœlesti, cum aliàs radii Solis videri non possent; sed unde illa sit, & quomodo disposita, ut sub tam variis formis lucem repræsentet, maximam habet difficultatem. Keplerus in Opusculis de Com. An. 1607. & 1618. l. 2. sic ait: *Solis rectis radiis pellucidum Cometæ globum ferientibus atq; penetrantibus existimo sequi aliquid de intimâ Cometæ materiâ, exireq; viam eandem, quâ percurrunt Solis radii, atq; hoc modo corpus cometæ perlui, colari, atteri, & deniq; annihilari, & sicut bombyces filo fundendo, sic Cometas caudâ expirandâ consumi & deniq; mori.* Idem sentit Longomontanus in Apendice ad Astron. Danicam. Sed hîc valdè quidem probabile est, Cometæ corpus virtute radiorum solarium sensim ac sensim attenuari, tandemq; planè dissipari, sive id fiat attritione, secundum verba Kepleri, sive, quod verisimilius videtur, alteratione, dum Sol calefaciendo & exsiccando, & sic attenuando partes capitis ad id magis dispositas leviores reddit ac rariores; Sed, quo vento turmatim velut expulsa partes

tes